

satio in impedimento diffamante. (1) Si cui ab Ordinario quaedam dispensatio negata fuerit, non prohibetur quominus eamdem a S. Sede petat, nulla praecedentis denegationis mentione facta. Quodsi a S. Sede recusata fuerit dispensatio, negant plures (Zitelli, de Disp. matr. p. 70) fas esse eamdem ab Ordinario petere, allegata eadem causa; nullum tamen Juris textum afferunt qui ad rem faciat. Quare cum aliis (D'Annib. I. n. 77. nota 63; Konings, Comment. n. 41) opinamur Ordinarium posse adiri et facultatem concedere pro foro interno, ubi justa et gravis causa urget, puta si constet rem non fuisse satis expositam vel ponderatam in curia Romana. In foro tamen externo se immiscere rei ad R. P. delatae temerarium est.

Propter varia incommoda quae e petitione facultatum ope telegraphi contigerant, Leo XIII (Litt. encycl. Seqr. Status 10 Dec. 1891; Coll. P. F. n. 2189) vetuit ne SS. Congregationes *ordinarie* petitiones per hoc medium factas acciperent, eamdemque regulam ab Ordinariis servari jussit. Liquest tamen non prohiberi quominus SS. Congregationes vel Ordinarii benigne accipient petitiones telegrapho transmissas quando necessitas obtinenda quamprimum dispensationis urgeat: quare haud imprudenter in tali necessitate petitio per telegraphum mittitur.

527. II. E stylo Curiae, in libello supplicationis ad S. Sedem vel episcopum dirigendo, plura sunt **necessario exprimenda** "ita ut si, etiam ignoranter, taceatur veritas aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur." (Instr. S. C. de P. F. 9 Maii 1877; Coll. P. F. n. 1482) Haec

(1) Exemplar litterarum quibus dispensatio super impedimento occulto a S. Poenitentiaria petatur:

Eminentissime princeps,

Titius et Caia matrimonium inire cupiunt: sed obstat impedimentum criminis ortum ex eo quod Titius, dum vivebat adhuc ejus uxor Sempronia, copulam perfectam cum Caia haberit et mortem Semproniae, effectu secuto, machinatus sit. Impedimentum omnino occultum est, neque ullatenus timendum videtur ne publici juris fiat. Adsunt gravissimae causae ob quas matrimonium inire cupiant: infamia vitanda, proles a Caia concepta. Quare Eminentiae Vestrae humillime supplicant ut dispensationem super impedimento praedicto, quamprimum fieri poterit, auctoritate Apostolica benigne concedere dignetur.

Eminentiae Vestrae manus reverenter deosculans, summa qua par est devotione permaneo

Eminentiae Vestrae
humillimus famulus
N. N. Parochus (confessarius) N. N.

N. B. In fine epistolae indicetur, lingua regionis propria, domicilium scribentis (*adresse*). Inscribatur vero italice: Eminentissimo Cardinale Maggiore Penitentiaro, Palazzo della Cancellaria, Roma.

recensebimus ex cit. Instructione, quae tamen directe dispensationes pro foro externo petendas respicit: quamquam aliunde constat pleraque ex iis punctis esse etiam in supplicationibus pro foro interno exprimenda.

1º " *Nomen et cognomen* oratorum, utrumque distincte ac nitide, ac sine ulla litterarum abbreviatione scribendum. "

Attamen validum maneret rescriptum si error esset minimus, ex. gr. mutata tantum aliqua littera vel syllaba, aut omisso uno nomine illius qui duo haberet. (Zitelli, p. 71) Ubi vero ab episcopo vel S. Poenitentiaria postulatur dispensatio pro foro interno, oratores fictitiis tantum nominibus designandi sunt.

2º " *Dioecesis originis vel actualis domicilii*. Quando oratores habent domicilium extra dioecesim originis, possunt, si velint, petere ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis in qua nunc habitant. "

Ex Litt. Encycl. S. Inqu. 20 Febr. 1888 (Coll. P. F. n. 1471), sufficit indicare Ordinarium alterutrius contrahentium, sive originis, sive domicilii, sive quasi-domicilii: siquidem, ex iisdem Litteris, quilibet ex illis exequi potest rescriptum dispensationis. In supplicationibus pro foro interno, omisso nomine dioecesis, indicandus est tantum lingua vernacula locus ad quem mittendum sit responsum. (Feye, n. 700)

3º " *Species etiam infima* impedimenti, an sit consanguinitas vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus vel matrimonio rato; in impedimento criminis, utrum provenerit ex conjugicidio cum promissione matrimonii, aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii: in cognitione spirituali utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem. "

4º *Gradus consanguinitatis vel affinitatis* aut *honestatis* ex matrimonio rato, et an sit simplex, vel mixtus, non tantum remotior, sed etiam propinquior, uti et linea, an sit recta aut transversa; item an oratores sint conjuncti ex duplice vinculo consanguinitatis tam ex parte patris quam ex parte matris. "

Hinc invalidum est rescriptum si pro gradu propinquiore ponatur remotior: siquidem ab hoc facilius quam ab illo dispensatur. Plures (Feye, n. 631) censemur hodie idem dicendum esse si pro gradu remotiore ponatur propinquior, ex. gr. secundus pro tertio. Nituntur responso S. C. de P. F. 7 Jun. 1853 (Coll. P. F. n. 1238): " Per facultatem dispensandi super impedimento secundi mixti cum primo, haud tributum indultum dispensandi quoque quando primus cum tertio mixtus deprehendatur. "

Attamen cum aliis AA. (Rosset, t. IV. n. 2530) censemus minime improbabilem evasisse sententiam contrariam, quam antea communiter tenebant AA. ob rationem valde verisimilem: quod minus in majore continetur,

ubi de eadem specie agitur. Responsum enim citatum omnimo particolare est et directe ad interpretationem facultatum episcopalium tendit: unde non expresse tangit casum erroris in speciali dispensatione.

Ubi vero reticitus est gradus propinquior in consanguinitate inaequali, valor rescripti pendet a varia praxi tribunalis a quo emanavit. Etenim, juxta praxim Datariae, validum manet rescriptum, nisi gradus reticitus esset primus; attamen ad *licitam* ejusdem exsecutionem, obtinenda sunt litterae declarantes reticentiam gradus propinquioris non obstatre quominus exsecutioni mandentur. (S. Pii V Const. *Sanctissimus*, 20 Aug. 1566) At, juxta praxim S. Poenitentiariae, etiam pro foro externo dispensantis, invalidum est rescriptum, quicumque gradus propinquior reticitus fuerit: quia istud tribunal considerat utrumque gradum ut impedimentum, ideoque non dispensat a gradu qui non exprimitur. (Feye, n. 704)

5º *Numerus impedimentorum*, ex. gr. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas; vel si praeter cognitionem adsit etiam affinitas, aut aliud quocumque impedimentum, sive dirimens, sive impediens. „

Necesse est igitur ut in eadem supplicatione exprimantur omnia impedimenta, etiam mere impedientia, quae in casu occurrant; a denuntiationibus tamen semper dispensare potest episcopus. Hinc si, obtenta dispensatione super uno impedimento, aliud detegitur, irrita est concessio. Neque licet pro uno impedimento ad episcopum, pro altero, quod forte in Indulto episcopal non contineatur, ad S. Sedem recurrere. (Feye, n. 708)

Ex hoc capite oritur difficultas quando, in eodem casu, concurrit impedimentum occultum cum impedimento publico. Si partes praebeant consensum, qui raro petendus videtur, poterit utrumque impedimentum simul exprimi in supplici libello pro foro exteriori. Seposto tali consensu, aliqua via ineatur qua caveatur infamatio oratorum, et tamen omnia impedimenta simul referantur in supplicatione pro foro interno, vid. addendo aliam dispensationem pro foro externo obtentam vel saltem petitam esse pro oratoribus, qui ibidem factis tantum nominibus designantur. Quodsi timetur ne episcopus agnoscat pro quoniam dispensatio in foro interno petaatur, dum simul supplicatio pro foro externo, expressis oratorum nominibus, ad eum defertur, parochus pro foro interno audeat S. Poenitentiariam. (De Becker, p. 321)

6º *Variae circumstantiae*, scil. an matrimonium sit contrahendum vel contractum; si jam contractum, aperiri debet an bona fide saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; item an praemissis denuntiationibus et juxta formam Tridentini, vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti. „

Matrimonii mere civilis mentio non est necessaria, cum verum matrimonium non sit. Neque hodie, ad valorem vel liceitatem dispensationis, opus est exprimere copulam incestuosam ab oratoribus habitam cum aut sine intentione ita facilis obtinendi dispensationem. Obligationem hanc, quam commemorabat cit. Instr. S. C. de P. F., abolevit Leo XIII per decretum S. Inqu. 25 Jun. 1885. (Coll. P. F. n. 1495) Neque hujus copulae aut malitiosae intentionis mentionem necessariam esse in quibusvis dispensationibus petendis, declaravit S. Inqu. 18 Mart. 1891. (Coll. P. F. n. 1500) Excipe, si quando esset elementum aliis impedimenti, ex. gr. criminis.

528. III. Quando dispensatio in impedimento consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita conceditur ab Ap. Dataria *in forma ordinaria* vel *in forma nobilium*, solvenda jubetur aliqua eleemosyna seu *componenda* quae, pro arbitrio S. Sedis, in pia opera impendantur. Similiter S. Poenitentiaria, ubi in foro externo cum pauperibus dispensat, aliquam minorem eleemosynam postulat, quam deinde, detractis expensis, ad S. Datariam transmittit: quamquam illam, seu partim, seu totaliter, pro quibusdam regionibus condonat. Haec praxis minime adversatur Conc. Trid. (Sess. 24. c. 5. de ref. matr.) jubenti ut gratis dispensemur: nam ita prohibitae sunt tantum illae taxae quae in lucrum dispensantium cedant, minime vero illae quae in opera pia impendantur et simul rariores efficiant dispensationes in gradibus propinquioribus consanguinitatis vel affinitatis. Cfr. Vol. I. n. 288. V.

Ad hanc eleemosynam effugiendam quandoque a Dataria vel S. Poenitentiaria dispensatio petitur *in forma pauperum*. Hinc duo potissimum investiganda sunt: prius, quinam vere *pauperes* in supplicatione dici queant; posterius, quid censendum sit de valore rescripti in forma pauperum obtenti ab iis qui canonice pauperes non sint.

Itaque canonice *pauperes* sunt quorum bona, detractis debitibus aliquis oneribus, non multum superant 3000 fr. Quodsi eorum bona majora quidem sunt, non tamen notabiliter 10000 fr. excedunt, *fere pauperes* dicuntur et obtinere possunt ut componendam minorem solvere teneantur. (Pii VI Litt. an. 1788 ad Arch. Turonensem) In hac computatione facienda, simul sumenda sunt quae ab utroque nuptientium possidentur, nisi una pars heterodoxa foret: quo casu, solius partis catholicae bona attenduntur. Etiam aliqua ratio habenda est pinguis hereditatis ad quam jus habeatur, vel munera lucrosi quod exerceatur. (1) In easi-

(1) In quibusdam regionibus, ex. gr. in Galliis, Ordinarius nunquam testatur de oratorum censu, sed oratoribus dicit pro hac dispensatione, praeter alias expensas, offerendam esse pecuniae summam viribus ipsorum proportionatam, in

bus dubiis, juvat condicionem **fortunarum** utriusque sincere exponere, etiam si plus possideant quam Pius VI cit. Litt. fere pauperibus assignat: nam, etiam in eo **casu**, hodie dispensatio in forma pauperum conceditur. (Feye, n. 692) Semper autem de condicione oratorum authenticum Ordinarii testimonium addatur necesse est.

Quodsi falso allegata fuit oratorum paupertas, valet dispensatio concessa a Dataria, ut e praxi illius tribunalis constare communissime tenent DD. (Feye, n. 696) Attamen oratores tenentur solvere jus Dataiae Apostolicae. (S. Poenit. 1 Dec. 1852) At dispensatio concessa a S. Poenitentiaria, vi facultatum quas pro foro externo habet, juxta communiorem sententiam, invalida est, si oratores reapse pauperes non sunt. (De Becker, p. 317) Rationes afferunt: tum proxim hujus tribunalis, tum defectum potestatis in Majore Poenitentiario, qui facultatem dispensandi pro foro externo **unice** pro pauperibus accipit. Rem tamen ut dubiam proponunt etiam qui recentissime de praxi Romanarum Congregationum scripserunt; ex. gr. Zitelli (p. 70), qui refert S. C. C. 28 Jun. 1873 de eodem argumento interrogatam responsum dedisse dilatorium: "Nihil esse innovandum." Quare, cum Gennari (Cons. Mor. Cons. Can. 30), censemus matrimonium post obtentam hujusmodi dispensationem tuta conscientia iniri posse, cum probabilitas juris valori concessionis faveat.

Attamen etiam ubi a Dataria in forma pauperum dispensatur, exigitur aliqua modica taxa paucorum francorum pro sustentatione ministrorum hujus tribunalis. Quodsi oratores adeo pauperes sunt ut eam solvere non possint, recurrent potius ad S. Poenitentiariam: haec enim saltem a nostratis nihil aliud postulat nisi ut resarciantur expensae *postales* et solvantur pauci franci (in regione nostra fere decem) pro labore *agentis* qui forte Romae operam suam praestiterit dispensationi obtaindæ.

Episcopus, vi tacitae vel expressae delegationis, dispensans in impedimentis matrimonialibus, nullam eleemosynam imponere potest: siquidem hujusmodi prohibitio semper concessioni facultatum adnectitur. (Instr. S. C. de P. F. 8 Sept. 1869; Coll. P. F. n. 1509) Immo S. C. C. 28 Jan. 1882 (Coll. P. F. n. 1510) reprobata est "consuetudo qua Officiales curiae episcopalibus, ob executionem dispensationum quae ab Ap. Sede conceduntur super matrimonii impedimentis, quaedam munera, praemia vel stipendia nedum accipere, sed et exigere solet." Ipsa S. Sedes sine

pios usus erogandam; deinde, si oratores allegantes paupertatem, nullam offendunt, aut non excedentem taxas S. Poenitentiariae, Ordinarius instantiam ad S. Poenitentiariam mittit, dicens oratores pauperes nihil solvere posse, aut non nisi hanc summam; secus instantiam mittit ad S. Datariam, dicens oratores talem pecuniae summam obtulisse, quam S. Dataria acceptat loco componendæ. (Gasp. De Matr. I. n. 318)

taxis largitur dispensationes matrimoniales in locis quae S. C. de Prop. Fide subjacent. Non est tamen illicitum episcopo taxam imponere pro sustentanda cancellaria, ut declaravit Conc. Balt. III. n. 134.

§ 4. DE EXECUTIONE DISPENSATIONUM.

529. I. Ad executionem dispensationum matrimonialium imprimis refert utrum in **forma commissoria** an in **forma gratiosa** concessae sint. Priorem adhibere solent tribunalia Romana: per hujusmodi rescriptum, S. Sedes alicui delegato confert facultatem dispensandi sub certis conditionibus in eodem documento expressis, seu, ut multi AA. loquuntur, *fulminandi* dispensationem. Posteriore forma uti solent episcopi: ab ipsis nimirum directe conceditur dispensatio iis qui impedimento laborant, ita ut nihil supersit faciendum praeter meram executionem collatae dispensationis.

Hoc formae discrimen praesertim attendendum est ubi quaeritur, quo praecise momento vera esse debeat causa ob quam dispensatio datur. Manifestum est requiri ad valorem ut vera sit eo momento quo directe dispensatio conceditur. Quare invalida foret si causa non subsisteret, cum delegatus S. Sedis, e facultate sibi facta, rescriptum exsequitur vel cum episcopus dispensationem impertit. Plures insuper requirunt ut causa vera sit quando S. Sedes mandatum dat dispensandi; attamen practice tuta est sententia hanc necessitatem negans, eo quod nulla certa ratione vel documento probatur. (Feye, n. 724)

Praecipuum vero discrimen viget inter dispensationes quae pro foro externo et eas quae pro foro interno conceduntur, tum quoad executorem cui committuntur, tum quoad clausulas quibus muniri solent.

II. Dispensationes **pro foro externo** hodie, ex Litt. Encycl. S. Inqu. 20 Febr. 1888 (Coll. P. F. n. 1471), omnes committuntur Ordinario oratorum vel Ordinario loci; exsequendae sunt ab illo Ordinario qui litteras testimoniales dedit vel perces transmisit ad S. Sedem, sive sit Ordinarius originis, sive domicilii, sive utriusque sponsi, sive alterutrius eorum; etiamsi sponsi quo tempore executioni danda erit dispensatio, reliquo illius dioecesis domicilio, in aliam dioecesim discesserint, non amplius reversuri, monito tamen, si id expedire iudicaverit, Ordinario loci, in quo matrimonium contrahitur. Fas est etiam Ordinario praedicto ad dispensationis executionem delegare alium Ordinarium, eum praesertim in cuius dioecesi sponsi actu degunt.

Dispensationes **pro foro interno** a Majori Poenitentiario inscribi hodie solent: "Discreto viro confessario ex approbatis ab Ordinario."